

QK. 267, 135.

Z d  
5965

NOSCENDVS  
EX  
SOCIIIS, DISCIPVLIS, ET PATRONIS,  
EORVMQVE  
EPISTOLIS ΑΥΤΟΓΡΑΦΟΙΣ  
B. ANDREAS REYHER,

CVM

*de huius studii, & meritis*

IOANNES TOBIAS BAVMEISTER, KOERNERANVS,  
*de virtutibus singularibus*

IOANNES MICHAEL WEITZ, COBSTADIENSIS,  
CONRADVS IO. CHRISTOPH. MENGEWEIN,  
HOHNSTEINENSIS COMITATVS VICO, GEBRA INFERIORE,  
oriundus,

&

HENRICVS ANDREAS PILGER, WASVNGENSIS,  
*sub initium lustrationis publice dicere iussi essent,*  
exhibitus

ab altero successore,

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI  
RECTORE,

GOTHOFREDO VOCKERODT.



NOBILITATIS  
SOCIETAS DISCIPLINAE ET PATRIAE  
HISTORIA APTOPOLITANA  
B. ANDREAS REYHER  
1714  
GOTTSCHEW VOGELHOF





Vintus nunc agitur annus, ex quo salutatus a me Berolini ILLVSTRIS B. ANDREAE REYHERI olim discipulus, cuius summa merita saepius publice celebrata sunt, dum eius mentionem de patria nostra meritissimorum cognatorum Erfurtenfis originis memoria publice honestanda poposcit, POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS consiliarius intimus, LIBER BARO, HEINRICVS RVTGER de ILGEN,

quem Minda Westphalorum cō Ioc LXX. cum Ioanne Friderico de Hoya, & Friderico Ioanne Derenthalio aduentantem Gotham, altero anno, ex infimo CLASSIS I ordine, ingenii, & felicitis industriae beneficio, ad SELECTAM prouectum scholastici annales memorant, praeceptoris sui tam gratam praese ferebat recordationem, vt grauissima, quibus distrahitur, negotia obstare sibi non pateretur, quo minus statum domus magistrae, & Reyherianae posteritatis fata diligentissime requireret, meque inter occupata ab aliis certatim sandi tempora, & in summa salutantium frequentia plus vna vice admitteret cupide, & studiose percontaretur, quid sui Reyheri agerent posterii? quomodo post fata eius Gothana floruerit litterarum officina? Non temere ingenii opere, studiis litterarum, & bonae mentis cultura delectato magis, quam corporis voluptatibus, sensuumque oblectamentis, heroi togato dulce est meminisse, confirmata temperato senilis maturitatis magisterio fuisse prima studiorum tirocinia, & eo usum esse adolescentiae rectore, & custode, qui ad recta, & solida dux, & auctor esse posset perquam idoneus, longo vsu doctus iuuenilis aetatis ferre impotentiam, & sanare intemperiam: vnde tanquam ex arbore annosa, pomorum, quam stolonum feraciore,

cioe, antequam vieta, & caduca exarescit, fertilesque frondes exsiccantur penitus, certatim cum discendi cupidis alumnos maturos saporis optimi fructus potuerit decerpere. Nec ingrata potest esse, & iniucunda condiscipulorum memoria, qui tunc in supremis ILLVSTRIS scholae curriculis versati sunt; postea autem discendi assiduitate, & agendi virtute non minus, quam naturalis ingenii dexteritate consecuti sunt, vt in academiarum cathedris, & summorum principum curiis potuerint exsplendescere: inter quos honoris causa licebit nominare post Herbersteinios, Hahnsteinios, Hopfgartios, de Weede, de Baehr, aliosque natalium splendore commendatos, qui adhuc Ienensem academiam ornat, summe reuerendum theologum, D. Ioannem Andream Dantziun, & qui apud nos summis dignitatibus florent, & honoratis ministeriis fungendo optime de patria merentur, viros excellentissimos, Ioannem Michaelem Gotterum, & Georgium Henricum Bachouium. Non solum autem, tantae dignationis viros delectari, credibile est, instauranda, & vindicanda ab obliuione bene de se meriti praecursoris memoria; sed & posterorum interesse videtur, ne quid lateat a B. Reyhero pro emendanda re scholastica, & amplificanda re litteraria tentatum, destinatum, perfectumque. Administer ille praecipuus erat Ernestinorum piorum institutorum, quibus rem non modo scholasticam; sed euangelicam vniuersam ornatam, & ab exprobratis corruptelis vindicatam esse constat: a quibus ad externos etiam propagandae, & his commendandae veritatis euangelicae factum esse initium, inter seculares applausus ILLVSTRIS Gymnasii nomine, ante hos septem annos, fuit demonstratum; praesertim cum praeclearae rei manus admouerent Ernestinae pietatis instituta a pueris imbuti, adeo vt qui nostrae ecclesiae sterilitatem obicere, & matris indolem, curam videlicet, & solitudinem de conuertendis ad Christum gentibus, denegare voluerint, non verbosis argumentis; sed rerum documentis possint refelli. Quousque igitur emendatae PII PRINCIPIS auspiciis rei scholasticae, & ornatae, propagataeque veritatis euangelicae celebritas patet, non obscurum esse fas est, quinam praecleari operis, negotiique salutaris, & exteris, posterisque non fructuosi minus, quam patriae gloriosi primi fuerint conatus? quibus consiliis, adminiculisque destinata sint perfecta? quibus artibus procurati, conseruatiueque successus? Declarant ista omnia *auéxdoſa* documenta satis copiosa, a B. REYHERO ipso, conscio, quantum interfit, non ignorari origines, & progressus **ERNESTINORVM** de scholis, & ecclesiis meritorum, & publicae emendationis passim consecutae, & longe lateque propagatae, studiose collecta, & in certa volumina distri-

distributa, liberisque ipsius diligenter, & diserte commendata, sine dubio, vt non deesset posteris ad condendos annales, & litterariae, ecclesiasticaeque rei historiam nostrorum temporum scribendam digna notatu materia. Etenim huius partem luculentam adornabit, qui B. ANDREAE REYHERI vitae historiam plene, & cum omnibus memoratorum documentorum argumentis voluerit enarrare. Quae quomodo in manus meas inciderint, non est praetereundum? Decesserat BEATVS in actu rerum, & apparatu laudatissimo conseruandae, augendaeque ILLVSTRIS scholae frequentiae, vtpote quae sub manibus eius mirifice erat amplificata, & classibus aucta, ita vt pro trecentis, quos per omnes classes huc vocatus inuenerat alumnos, subinde vltra septingentos numeraret, ac inter hos in supremis ordinibus plerosque exteros, & non paucos profapiae nobilis, & fortunae lautioris. Cuius notae alumnis ne deesset aptum hospitium, & ne ciuitati incendio afflictae subduceretur a peregrinis locupletioribus speranda lucri accessio, amplas ipse, & magnificas aedes moliri coepit, idque sumtu suo, dum publicus cladi incendi, quod campos fecerat, vbi maior, & melior Gothae pars fuerat, vtcunq; resciciendae, publicisque initio aedibus restituendis erat impendendus, ita vt parietina, siue collapsa vetustate GOTHANI RECTORIS domus, quamuis ei flamma, in opposita vrbis parte faeuens, pepercisset, tam facile reparari, & frequentiae nobilium, & his ministrantium pauperulorum alumnorum, qui ad BEATVM confluebant, recipiendae apta reddi non posset. At vero dum fata interceptum destinata, & qui patriae laboranti consulere non minus, quam scholae celebritati, & rei familiari voluit, abire viuus, antequam impensas nouis aedibus molendis consumtas ex harum sperato vsu potuit recipere; haeredibus potissimum patrimonium superest supellex litteraria, & bibliotheca, inter copiosam sobolem diuidenda. Multiplicata enim proles, & cura bonae mentis, spartaeque scholasticae rite ornandae non sinunt diuitem fieri ludimoderatorem, quamuis luculentis rei familiaris accessionibus vndecunq; auctum. Neque enim carere potest pretioso subsidiorum apparatu, & sumtuosis oportunitatibus, si concreditos fidei suae alumnos secum velit doctis impalescere chartis, & Socraticis dapibus ita recreare, vt ad nugae, & vana sensuum oblectamenta minus possint respicere; a quibus alias aegre reuocantur, & nequiequam deterrentur expeditis Orbiliorum armis, & fronte magistra. Quamuis autem BEATI filius bibliopola fratrum, sororumque accepta ex paterna haereditate supellectile, & scriptis monumentis plerisque ita veteretur, vt iure, quod tamen saluum, testatumque omnibus mansit haeredibus,



potitus videretur: distractae interim in familiae vsum illa non sunt conseruata, dum natu maximus filius, qui haec curare & posse, & voluisse videbatur, procul abest, & in Kiloniensi academia sua, lautaque satis fortuna est contentus; fratres autem reliqui studiis, & fortunae suae extra patriam feruiunt. Ita accidit, vt, dum paullo post aduentum meum bibliopola Reyherus fato fungitur, relictae eius merces venales bibliopolae Lipsiensi vendantur; scripta autem monumenta cum supellectile antiquaria, & libris compactis, cum emtores non inuenirent, distraherentur per aucionem. Hoc pacto ne BEATI VIRI destinatio irrita redderetur, & studiose ab eo collecta monumenta ad institorum vsum abiicerentur, intercessi, & redempta cum aliis codicibus, quos emtores alii propter notas explosae vetustatis, & abiectae litteraturae monasticae vel reliquissent, vel pro exiguo pretio sibi addictos lacerandos tradidissent, quibus opus est inuolucris, meae bibliothecae adieci, cum publica ILLVSTRIS Gymnasii bibliotheca nondum instaurata esset; sed, quae reliqua erat ex superiorum temporum iniuria, litteraria supellex in Augustiniano templo situ obsita iaceret. Et quamuis tot imperiales soluendi mihi fuerint, quot alii assēs non impendissent: quoties enim ipse licitor, pretia illico augentur; quia rarum, carumque creditur, quod experat tot librorum possessor: non piget tamen impensae, dum inter explosae vetustatis codices primi typographi, FAVSTI, BIBLIA LATINA reperiebantur, quae pro manuscriptis artis adhuc ignaris Parisiensibus ille caro vendiderat pretio, destituta omni temporis, loci, & nominis nota; mihi que in emtis illis Reyherianis monumentis licuit inspicere nondum vulgatas institutorum rationes, quibus ILLVSTRI Gymnasio Gothano parta erat tanta celebritas, & recognoscere consultationes religiosas, curatissimasque de emendatiore re scholastica, atque inde capere agendi, cauendique in eodem munere administrando modum, nec non exemplum patiendi pro benefactis fata contraria: quae, dum populus futurus a naturalis libertatis ferocia reuocandus, cogendusque est sub disciplinae legem, & ciuili ordinis modum, non possunt non accedere cordatis litterariorum ludorum magistris: quibus solertissime prouidendum est, inuitos seruare dum officii ratio iubet, ne occidentibus similes videantur, euertanturque refragantium pugnis, & assiduis intentatis certaminibus. Ab his ad operas scholasticas cum perpetuo se referret B. Reyherus, oppugnatus quidem; sed nunquam est expugnatus, & ab opere iuuentuti studiosae saluari deturbatus. Vt itaque constet, quid expectandum sit ex vindicatis, conseruatisque in mea bibliotheca Reyherianis monumentis, si eorum argumenta, quod mihi proposui, ad illustrandam BEATI VIRI vitae historiam publicentur,

tur, non solum scholasticis viris, muneri suo rite fungendo bona fide intentis, & qui maluerint rerum agendarum modum capere ex statutis cum pluribus deliberatis, & sapienter, prouidenterque introductis, nec non successuum exemplo, quam in re tanta, & cum publicis commodis, damnisque coniuncta suo niti ingenio, & iudicio; sed & quibusuis cupidis noscendae historiae litterariae temporum, quibus BEATVS floruit: particulatim recensendum videtur, quod frons huius tabulae generatim pollicetur. Scilicet *ἀντόγραφα*, quorum beneficio ex SOCIIS noscendus exhibetur B. REYHERVS, duo implent volumina, inscripta:

*ELENCHVS virorum clarorum nominum, a quibus epistolae in vitroque hoc volumine sua manu comprehenduntur exaratae.*

Inter plura doctissimorum virorum nomina leguntur & Chemnitius, Cundisius, Dilherr, Euenius, Frischmuth, Gerhardus, Glassius, Heuelius, Ions-tonus, Ludolfus, Maukisch, Mengerig, Meyffartus, Mitternacht, Nef-selius, Olearii, Pareus, Riinus, Sagittarius, Saubertus, Schleuogt, Stecha-nius, Watsonus, Weigelius, Weitzius.

Ex DISCIPVLIS noscendum se praebuit singulari volumine, complexo eorum epistolas, carmina, & testimonia academica, inscriptoque:

*CATALOGVS nonnullorum, quorum studiis olim in scholis partim vniuersalibus, partim diuersis Gymnasis praesuit, & per DEI gratiam profuit*  
*פלוגי excerptus mense Iulio 1667.*

Nec desunt mihi ipsa monumenta, vnde excerpserit, ACTA videlicet, & histo-ria Gymnasii Schleusingensis ab anno MDXCIV, ad annum, quo Schleusinga discessit, MDXL. Nec non ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI ACTA ab anno MDXLI, ad annum MDLXXI, quae inscribuntur:

*ALBUM SCHOLASTICVM ex prototypis descriptum, insertum bibliothecae Reyberianae, nec inde subducendum, in iucundam tum temporis Recto-rii, M. Andreae Reyberi, recordationem, & liberorum suorum commendationem.*

PATRONORVM B. REYHERI vel suffragantium ad dignitates, vel edita ingenii eius monumenta probantium, principum, vel magna dignitate, & fama

Zd 5965 QM X 362 36M VDI8

fama florentium virorum αὐτοβγαφα peculiare exhibet volumen, quod ipse non possideo; sed mecum communicatum est a doctissimis B. REYHERI nepotibus, B. EPHRAIMI filiis, postquam ex alienis manibus huic factum est vindicatum. Antequam autem condenda iustae molis historia vitae REYHERIANAE ex memoratis monumentis depromi, & noscendus vir beatus repraesentari orbi litterato, & posteritati potuerit, qualis fuerit, sociis nimirum, & doctrinae laude clarissimis viris acceptissimus, discipulis dilectissimus, patronis desideratissimus? periclitari placet in alumnorum ad suscipiendam, aemulandamque virtutem, & laudem Reyherianam excitandorum speciminibus publicis, quibus lustrandarum operarum ILLVSTRIS scholae initia dedicanda sunt, quo loco sit apud posteros BEATI VIRI memoria?

*Studia eius, & merita*

primus orator,

reliqui singulares eius persequuntur virtutes,

alter videlicet

*docendi dexteritatem,*

tertius

*humanitatem,*

*& facilitatem in admittendis, iuvandisque pauperculis alumnis,*

postremus

*impensum Hebraicae linguae studium.*

Ad quos sermones patienter audiendos

crastino die, hora VII. ante meridiem,

in auditorio CLASSIS I.

bonisque ominibus publica solennia prosequenda

**ILLVSTRIS GYMNASII PATRONI, ET FAVTORES**

submisit, & obseruantissime inuitantur.

P. P. GOTHAE CIO IOCC XXIV. IVLI XXX.

---

**LITTERIS REYHERIANIS.**







Z d  
5965

ASCENDVS  
 EX  
 IPVLIS, ET PATRONIS,  
 EORVMQVE  
 LIS ΑΥΤΟΓΡΑΦΟΙΣ  
 LEAS REYHER,

CVM  
 s studiis, & meritis  
 BAVMEISTER, KOERNERANVS,  
 tutibus singularibus  
 AEL WEITZ, COBSTADIENSIS,  
 CHRISTOPH. MENGEWEIN,  
 OMITATVS VICO, GEBRA INFERIORE,  
 oriundus,  
 &  
 LEAS PILGER, WASVNGENSIS,  
 tionis publice dicere iussi essent,  
 exhibitus  
 altero successore,  
 GYMNASII GOTHANI  
 RECTORE,  
 EDO VOCKERODT.

